



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

70 Cognatio spiritualis post baptismum domi collatum, ex solemnitatibus,  
qui in ecclesia fiunt non contrahitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

spiritualis contrahatur postquam puer fuit in domo, necessitatis, aut alia de causa sine solemnitatibus baptizatus, quando postea in Ecclesia solemniter exorcizatur, & ungitur, & videtur, quod sic, & quod in privato baptismo cognatio spiritualis non contrahatur, sed tantum in solemnibus, quia ubi deficit solemnitas, non est proprie susceptor, tenet Sot. in 4. sentent. dist. 42. quest. 1. artic. 1. circ. fin. & Saur. de sacr. tom. 1. disput. 23 in com. in art. 8. quest. 67. ult. dub.

69 Dicta tamen opinio de jure non subsistit, quia in privato baptismo contrahitur spiritualis cognatio, ut per Navar. in c. 22. n. 40. & Covar. super 4 decret. par. 2. cap. 6. §. 4. nu. 4. & hanc esse communem opinionem, tenet Saur. loco supra citato, licet contrariam opinionem amplectatur, & male. Nec est verum, quod, quando puer causa necessitatis in domo baptizatus, postea in Ecclesia exorcizatur, & ungitur, contrahatur cognatio spiritualis impediens matrimonium contrahendum, & non dirimens contractum, per text. in cap. per catechismum, de cognat. spirit. in 6. & Navar. de c. 22. eod. n. 40. & nu. 72. quia dictum cap. per catechismum, quod sequitur Navar. & Tolet. in instruct. sacerdot. lib. 7. cap. 14. circa fin. habebit locum in catechismo adhibito ante baptismi administrationem, sed suscepto baptismo domi, 70 causa necessitatis, ex solemnitatibus, quæ postea in Ecclesia quandoque adhibentur, nulla contrahitur affinitas impediens, quominus matrimonium libere contrahi possit, ut super cap. 2. de reform. matr. sess. 24. fuit à sacro, congreg. decisum, in decis. sub tit. Mediolanen. & benedistinguit, text. in eo cap. per catechismum cujus dispo-

sitio reformata, & declarata fuit per sacrum concilium Tridentinum in d. c. 2. de reform. matr. sess. 24.

71 Concilium enim statuit, quod unus, & una baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos, ac baptizatum ipsum, & illorum patrem, & matrem, ac inter baptizantem, & baptizatum baptizati que patrem, ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur, omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impediens omnino sublatis, ut in eodem cap. 2. de reform. matrimon. & ita declaravit Pius V. ut in litteris sub dat. Romæ anno. 1566. ut in declaratoria, de qua in Bull. fol. 953

72 Ideo post baptismum necessitatis causa domi collatum, quo contrahitur cognatio spiritualis, alia denuo, quæ tantum impediatur, & non dirimat, ex solemnitatibus, quæ post baptismum in Ecclesia fiunt, ulla contrahi nequit, nec aliter judicari potest, obstante clausula, & ita ab omnibus judicari debere, decretoque irritanti, ubi in eadem declaratoria appolito, quæ clausula remouet facultatem aliter judicandi, vel interpretandi ex alibi deductis, & ita tenuit S. Thom. in 3. par. quest. 67. art. ult. & Ledesin. quest. 56. art. 3. post. med. vers. & aliud dubium. quidquid dicat Toletus in contrarium.

73 Legalis cognatio est propinquitas, & adoptione alicujus in filium proveniens, l. adoptiones. ff. de adoption. gloss. in rubr. de cognat. leg. & Navar. in d. cap. 22. num. 44. & ideo, quæ per adoptionem soror alicujus esse coepit, quamdiu durat adoptio, inter ipsos matrimonium contrahi non potest, cap. 1. & 2. & cap. per adoptionem, 30. quest. 3. & cap. unic. de cognat. leg. inter

Qq quos,